

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4544

Auteur(s) : Jean du Hommet, fils de Robert du Plessis [écuyer]

Auteur(s) : Guillaume du Hommet, fils de Juhel d'Ardenne [écuyer]

Bénéficiaire(s) : Poilleu, Notre-Dame de Montmorel (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1265, août

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Jean du Hommet, fils de Robert du Plessis, et Guillaume du Hommet, fils du chevalier Juhel d'Ardenne, écuyers, notifient l'accord conclu entre eux et l'abbé et les chanoines de Notre-Dame de Montmorel sur une chaussée et un moulin faits à « Vadum morendinorum ».

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Dubosc François, *Cartulaire de la Manche*, abbaye de la Luzerne, abbaye de Mont-Morel, prieuré de la Perrine, Saint-Lô, Jacqueline fils (Archives départementales de la Manche), 1878, Mont-Morel, n° CCXXIII, p. 218-219.

Texte établi d'après a

Universis presentem cartam inspecturis vel audituris Johannes de Hulmo, filius Roberti de Plessiaco, et Guillelmus de Hulmo, filius Juhelli de Ardena militis, armigeri, salutem in Domino. Noverit universitas vestra quod cum contentio verteretur inter nos, ex una parte, et viros religiosos abbatem et conventum Beate Marie de Monte Morelli, ex altera, super quadam calceia facta et quodam molendino facto apud Vadum molendinorum, inter parrochias de Poilleio et de Duxeio, tandem, proborum virorum concilio, pacificatum est inter nos in hunc modum : videlicet quod dicta calceia que in alto plus quam erepta est seu elevata in altum aliquatenus non erigetur seu elevabitur et ibidem faciemus pischarias et omnia alia edificia que nobis viderimus expedienda, sine elevatione calceie supradicte, quam non poterimus plus elevare quam elevata est et erat in festo Beate Marie Magdalene, anno Domini M° CC° sexagesimo quinto, sine contradictione dictorum religiosorum. Preterea dicti religiosi percipient et habebunt totam decimam omnium molendinorum nostrorum in parrochiis de Polleio et de Presseio tam factorum quam faciendorum in aqua Senne et alibi, et etiam quinquaginta solidos Turonensium annui redditus ad festum Beati Remigii percipiendos et habendos per manus illorum quiconque dicta molendina tenuerint. Hec omnia supradicta predicti religiosi percipient et habebunt, prout superius est expressum, sine contradictione, reclamatione, molestatione et impedimento nostri et heredum nostrorum seu alicujus alterius, ratione nostri. Sciendum est enim quod dicti religiosi tenentur ter in ebdomada missam celebrare in cappella de Hulmo per cappellanum de Poilleio, pro decimis supradictis. Et pro predicto reddito, ultra terminum detempto, predicti religiosi in predictis molendinis suam plenariam justiciam poterunt facere secularem. Et ut hoc ratum et stabile in perpetuum perseveret, presentem cartam sigillorum nostrorum munimine duximus sigillandam. Actum et datum est hoc anno Domini M° CC° sexagesimo quinto, mense augusti.